

- lis erat, non fuerit obligata ad certum genus fructuum, sed ad quoslibet *cap. cum in 22 tua 30. d. 1.* Hæc tamen utraq; ratione non attentâ, *cit. D. de Bassis num. 4.* resolvit, per talem mutationem culturæ jus decimandi fuisse extinctum. Cujus ratio est: quia decimæ non sunt onera fundorum, sed onera fructuum *arg. cap. cum homines 7. cap. pastoralis 28. vers. fructus &c. cap. cum non sit 33. d. 1. de Decim.* qua de causa non domini prædiorum elocatorum, sed conductores decimarum nomine conveniuntur *cap. dilecti 8. cap. à nobis 24. eod. tit. de Decimis.*
- 23 Ergo, si tales fructus ex prædio quodam nascantur, qui juxta provinciarum consuetudinem ab onere decimationis immunes sunt, proprietarius prædii immutari nullam obligationem habet solvendi decimas, tametsi de fructibus illius fundi, decimari solitis, decimas præstiterit: si quis enim agros omnino incultos reliquerit, à præstatione decimarum liber est: cur itaque non etiam liber sit, qui

QUÆSTIO IV.

An Parochi & alii Decimatores teneantur ad compensationem sumptuum, quos rustici faciunt pro custodia frumentorum & segetum?

- 27 Memoratus Clariff. D. de Bassis *controv. 3. 1.* hanc quæstionem ventilat, & ponit casum de venatione, rusticis prohibita, ita tamen, ut rustici possint agros suos adversus incursionem ferarum sepibus munire, vel etiam animalia clamoribus & compositionibus à segetibus suis arcere; cumque sepes altos erigere, aut palos præacutos facere ipsis non concedatur, ne feræ, transire volentes, se ipsos transigant, debent rustici persæpe de nocte unum vel plures custodes constituere, ut continuis clamoribus & vociferationibus ejusmodi bestias abigant. Sumptus igitur necessarii sunt, ut frumentum & segetes à devastatione conserventur; & cum Parochus & alii Decimatores exinde commodum percipiant, æquum videri posset, ut etiam ferant onera, & ad decimam partem sumptuum obstringantur. Sed aliter sentit *cit. Author num. 3. & seq.* & justè: nam, quia decimæ prædiales sunt præstandæ, non deductis impensis, in fructuum nativitate aut conservationem erogatis, ut patet ex *praf. cap. num. 175. & seq.* sunt quoque præstandæ, non deductis sumptibus, pro custodia frumenti & segetum factis. Et quia in canone emphyteutico, in recognitionem domini directi solvendò, emphyteuta de sumptibus & expensis nihil detrahare potest; quò titulo aliquid subtrahent rustici in decimis, in recognitionem supremii domini DEI ejus ministris solvendis?
- 31 Hinc nullatenus procedit supra allegata

convertit ad usum, de quo decimæ præstari non sunt solitæ?

Ad primam rat. dubit. responderi potest: per commutationem agri aut fructuum in aliam speciem non tolli obligationem solvendi decimas, si fructus novi sint tales, ex quibus decimæ cæteroquin solvuntur: cum verò in casu præsentis, mutatò fundò, fructus nascantur, ex quibus decimæ juxta consuetudinem non solvuntur, nulla poterit esse solvendi obligatio. Estque prorsus per accidens, quòd conditio Decimatoris hòc factò evadat deterior; cum etiam, si fundus omnino deferatur, & planè incultus relinquatur, ipsius conditio non fiat melior. Utitur nempe proprietarius fundi jure suo, nec iniquè per hoc injuriam facere censetur.


Ad alteram Resp. esse quidem fundum obligatum ad fructus quoslibet, qui sunt decimabiles; fructus autem, de quibus loquimur, non esse decimabiles, consequenter ab obligatione decimarum exemptos.

Juris maxima de proportione commodi & incommodi: siquidem, ad imitationem Legis antiquæ, simpliciter decima pars fructuum, prout ex beneficio Creatoris naturaliter enascuntur, absque alio respectu aut proportione commodi vel impensarum præstanda est.

Tradit præterea *cit. D. de Bassis in num. 6. 32* & æquum judicat, Parochis aliisque Decimatoribus à rusticis resarcitionem esse faciendam decimâ parte pecuniæ, quam acceperunt à Domino venationum propter damna, fructibus per feras bestias illata: cum ista resarcitio succedat in locum fructuum, ex quibus decima pars Parocho aut Decimatoribus debebatur.

Advertit tamen in *num. 8. 33* ex propria observantia, rusticos Parochis de accepta compensatione nihil communicare, fortè quia plerumque ipsis damnorum illatorum nomine tam exigua obvenit satisfactio, ut subinde vix tertiam aut quartam partem justæ æstimationis adæquet; quod planè durum existimat.

Quòd si tamen decima pars fructuum non tantum à solo separata, sed etiam decimata, & Parocho aut alteri Decimatori actualiter fuerit assignata; ipse autem in asportandis manipulis sit negligens, sibi imputare debet: quia propriis sumptibus custodiam apponere, & fructus, quorum jam dominus hòc modò factus est, à ferarum depastu aut vastatione conservare tenetur. De Bassis *d. l. n. 5.* Conferatur etiam P. Pirhing. *ad tit. de Decim. num. 94. & seq.*



QUÆSTIO V.

Cuinam obveniant Oblationes pie?

- 35 Breviter aliqua subjecimus in *cap. praf. à num. 211.* Largiora subjicit Eminentiss. Petra in *Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 2. pag. 20. & multis seqq.* Ex quo notandum I. Oblationes pias antiquitus, ante divisionem portionum factam à S. Simplicio Papa in *cap. quatuor 27. & cap. de redditibus 28. XII. quest. 2.* communes fuisse Episcopo, Clero, & pauperibus; reservatâ distributione proprio Præsuli juxta cujuslibet necessitatem *cap. habeant 17. cap. res Ecclesia 26. ead. quest. 1. cap. ult. XI. quest. 1.* datâ facultate Vicario seu Custodi Ecclesiæ, absente Episcopo oblationes inter Fratres dividendi per *cap. ult. de Offic. Cust.* Factâ autem divisione bonorum & reddituum Ecclesiasticorum in quatuor partes, in totidem partes fuisse divisas oblationes per *cap. cognovimus 29. & cap. mos est 30. d. XII. q. 2.*
- 38 II. Postquam Parochiæ sunt distinctæ, uni pastorum intra certos limites commissâ animarum curâ, eidem oblationes, quæ sunt intra districtum parochialem, fuisse assignatas per *cap. quia Sacerdotes 13. & 2. seqq. X. quest. 1. cap. pastoralis 9. de his, que sunt à Prælati sine cons. cap. remanente Episcopo portione Canonica. arg. cap. officii 14. cap. requisiti 15. cap. ult. de Testam. quæ portio juxta Concil. Aurelianense cap. 15. tertia fuit pars, & postmodum quarta. Innocent. Hostiensis, Joannes Andreas & alii apud Fagnanum in *cit. cap. pastoralis num. 13. & 16. Rota Rom. in recent. p. 1. decis. 256. n. 1. & p. 5. decis. 37. n. 2. & seqq.**
- 40 III. pro Parocho stare præsumptionem Juris, quòd ad ipsum, tanquam pastorem & ministrum Sacramentorum, spectent omnes oblationes, præterquam, si conslet de contraria offerentium voluntate: cum enim oblatio sit actus voluntarius & spontaneus, suam normam accipit à voluntate & intentione offerentium: eaque propter, si quid offeratur pro fabrica, ornamentis, luminariis, perpetuo Ecclesiæ cultu, certa ima-

gine, vel capella, debet à Parocho, tanquam legitimo administratore, in usum destinatum applicari per *d. cap. ult. de Testam. Rota decis. 166.* post Postium *de mantent. & dec. 227. coram Merlino.* Fagnanus *cit. l. num. 29. & seqq.* Lotter *de Re benefico. lib. 1. quest. 30. num. 28. & seqq.* Pignatell. *consult. 161. tom. 4. num. 4.*

IV. oblationes, quæ sunt in Capella vel Ecclesia non-parochiali, ubi adest specialis Rector seu beneficiatus, habens illam Ecclesiam in titulum, spectare ad Rectorem, eique administrationem, exclusò Parocho, competere; prout resolvit S. Congregatio Concilii in *nullius seu Nonantulana Fur. Paroch. 13. Jan. 1685. & in Foroliviens. Fur. Paroch. 18. Nov. 1684.*

V. oblationes, factas in Ecclesiis Regularium, quoad usum & dispositionem ad Monasterium & ejus Superiorem pertinere *cap. Theodosius 1. de Statu Monach. cap. nimis iniqua 16. de Excessib. Pralat. & ibi Gonzalez num. 2. & 3.* Quia enim jam antiquitus Monachi, dum Sacerdotalia munera nondum præstabant, oblationum piarum fuerunt participes: quanto magis oblationes in suis Ecclesiis nunc sibi vendicant, dum munera & functiones, Presbyteris convenientes, jam à multis sæculis administrant? Vi- deantur textus apposti in *cap. doctos 21. cap. si Monachus 22. cap. moderamine 23. XVI. q. 1. si Monachus ad d. cap. pastoralis num. 34. Pignatell. tom. 10. consult. 59. num. 13. Rota in recent. dec. 373. num. 11. p. 5. Monasterium siquidem, licet sit in parochia, non tamen est de parochia. Petra *cit. tom. 2. pag. 28. num. 41. & seqq.* Imò, si imago quædam picta aut depicta sit in domibus aut earum parietibus, quæ sunt in dominio alicujus Monasterii, oblationes, ibi factas, non Parocho, sed Monasterio deberi, multis rationibus & autoritatibus stabilit Illustriss. Episcopus Bellicensis, L. B. de Zeller *tom. 1. consil. 9. per 101.**

CAPUT IV.

De Immunitate Ecclesiastica.

SUMMARI A.

- I. & seq. Recensentur crimina, ab Immunitate locali per constitutionem Benedicti XIII. excepta. 3. De cognitione criminum remissivè. 4. Refertur ipsa constitutio. 5. & seqq. Revertatur nostrum dogma, quòd immunitas personalis & realis proveniat ex Jure Divino. 10. & seqq. Enumerantur casus, in quibus cessat.

QUÆSTIO I.

Quenam crimina sint excepta ab Immunitate locali; & quis desuper cognoscat?

PRæter illa, quæ in hoc cap. à num. 69. ad textum & mentem tum Juris Communis, tum Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit: *cum alias &c.* recensuimus, Sanctiss. D.N. Benedictus XIII. in nova constitutione, quæ incipit *ex quo*, datâ sexto Idus Junii 1726. confirmatâ in Concil. Roman. tit. 28. c. 1. & relatâ in ejus Appendice pag. 277. & seqq. non solum aliqua ex Bulla Gregoriana declaravit, sed etiam nonnulla alia delicta & delinquentes ab Immunitate locali exceptit, nominatim: *interficiendo proximum suum animo præmeditato ac deliberato; cum antea solum homicidium proditorium fuerit in dict. Bulla exceptum; item falsificantes literas Apostolicas; Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci, pro depositis Principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes &c. constantes, adulterantes, vel tonsentes quascunque monetas aureas vel argenteas etiam Principum exterorum &c.*

De cognitione quoque super crimine excepto actum in hoc eod. cap. à num. 103. Sed etiam in cit. constitutione Benedicti XIII. unum & alterum magis explicatum invenitur. Unde, ut quoad utrumque quæsitum plenior & tutior notitia hauriatur ex ipso fonte; operæ pretium est, ipsam constitutionem verbotenus referre.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

EX quo, Divina disponente Clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quod obstringebamur, Ecclesiarum, sacrorumque Locorum Immunitatem sanctam, rectam, inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recenferi: diu, multumque rationes, ac mediâ Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum præca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canoniarum Sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio, à sel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore Nostro, edita, quæ incipit *cum alias*: qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastoralis zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & indulta, à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V. & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem

Nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatusque fuit: Simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunitatis sibi parabant, nonnulla expressit, explicavit crimina, & castas, in quibus Laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à locis immunibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta Constitutione, anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kalend. Junii promulgata, uberius continetur.

Quoniam verò, post editam hujusmodi Constitutionem, ob varias Doctorum, eam interpretantium, sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione præxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Sæcularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX. Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter Nostris de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis, non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interrim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos, omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inherentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hæc nostra perpetuo valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus & singulis, in ea contentis, atque dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, &, quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delin-

quentibus, Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi Nostris dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalescentem perverforum hominum malitiam, sæpe, ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris Nostris debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident; aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerlerit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admiffam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat; dummodò tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsi membrum mutilant: nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut, si membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes, in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassinii non modò mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus traderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodò Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque

privamus ejusdem Immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Literas Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Constantes, adulterantes, vel tonsentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, & detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes cenleri possint: Illos demum, qui sub nomine Curie sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædiam, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodò homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Cæterum, cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hæctenus exonerunt, difficulter probare, consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum præxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem, quoad normam, ab ipso præscriptam, recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscunque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocunque Doctore prodierit, neque præxis à quibuslibet Curis, aut Tribunalibus inverteat, imò nec quarumcunque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis Nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum, emanaverint, quatenus præsentis Nostræ Constitutioni adversentur; sed in occurrentibus casibus normam hic à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescunque igitur Curia Ecclesiastica à Curia Sæculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sine iudicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus

opus sit, brachii secularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur; extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tanta custodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex processu informativo desuper conficiendo, constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem Extractum talia resultant indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curie Sæcularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exactâ tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, in forma Juris valida, restituendi Extractum Ecclesiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem Extractus indicia, contra ipsum, acquisita, in suis defensionibus purget, ac diluat. Quòd si ea minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curie Sæculari in ipsum tali casu, ut Juris esse cœsuerit, agere, atque procedere liceat.

Præterea considerantes, sæpe dictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem Jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii, Episcopis inferiores, etiam si locorum Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunita confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos, providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, Motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium, quibuscunque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Sæcularibus, nec non quibusvis aliis personis cujuscunque gradus, & conditionis existant, etiam si Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, districtè intercedimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel Inquisitos extrahendo à locis immunitibus, vel declarando crimina, ab eis admitta, esse de exceptis in Gregoriana, aut in præfata Nostri Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quòd si secus quidam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuò fore, ipsosque attentantes in censuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, adversus eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflicta, incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quòd omnimoda cognitio, atque Judicium de criminibus, in Gregoriana Constitutione exceptis, & à Nobis superius

explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præfata Nostri Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantum, privativè quoad omnes alios, perpetuò spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cætera omnia à Nobis superius constituta adimplerint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tutò debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

Universos demum, & singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primate, Archi-Episcopos, & Episcopos, quos hujus Nostri Constitutionis executores deputamus, in visceribus Domini Nostri JESU Christi hortamur, & paterna charitate admonemus, ut, quanti momenti sit hoc negotium, seriò cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, iis omnibus obstant, qui ejusdem præfate Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porò casibus tam in hac Nostri, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores, quàm acriter semper, & qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine Majores Nostri pro Ecclesiastica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de ista immuni permittant, neque sacris Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sanè zelo, atque constantia tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quàm miserationis, & justitiæ titulo, Ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

Decernentes, easdem præfatas Litteras, & in eis contenta quæcunque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singularibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præminencia, & potestate fungentes, ac functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscunque Cancellariæ

riæ Nostre Apostolicæ regulis, nec non quoruncunque Prædecessorum Nostrorum Litteris Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis personis, & speciali mentione dignis, & quavis quantumcunque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiam pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio faciendâ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia, etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice duntaxat, illis illas in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem præfatas Litteras ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curieque generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas & affixas, omnes, & singulos, quos ille concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si univocis eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent, utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostre voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ex ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii, Pontificatus Nostri anno secundo.

QUÆSTIO II.

Quò Jure Immunitas Ecclesiastica quoad personas & res fuerit introducta?

- 5 Quòd fuerit introducta de Jure Divino in thesi & quoad substantiam, per longum & latum deduxi in hoc cap. à num. 130. & à num. 223. Deduxi etiam solitâ eruditione Eminentiſſ. Petri tom. 2. pag. 369. & seq. item tom. 3. pag. 316. à num. 7. & inter alia in d. tom. 2. pag. 370. num. 9. advertit, Immunitatem Ecclesiasticam, Jure Divino jam statutam, primùm sub Orthodoxis Principibus, compressâ tyrannide Gentilium Imperatorum, in usum & exercitium fuisse redactam: quoniam dicti Principes eandem Immunitatem non concesserunt, sed detexerunt, ut insinuat Imperator Justinianus in l. sancimus 22. Cod. de SS. Eccles. ibi: cur enim non faciatis discrimen inter res Divinas & humanas? & quare non compatiens prerogativa ca-

lesti favori conservetur? Optimi enim Imperatores potius usi sunt verbis restitutoriis & redintegratoriis pristinae libertatis, vi aliorum compressæ, quàm novæ largitionis. Unde, prosequitur Petrus d. l. num. 11. ad instantiam Hilarii, ut refert Baronius Anno 130. Constantinus Magnus mandavit, *asurpare, & præsumere contra libertatem Ecclesiasticam non licere Laicis*: quæ verba supponunt non quidem novam concessionem, sed jus, quod jam habebat, ne illi detraherentur. Leges quoque Civiles, contrarium forsen afferentes, ut *Auth. nullus Cod. d. r. aliaque sunt*, irritæ, veluti sæpiùs Imperatores ipsi, signanter Fridericus in *Auth. cassa Cod. eod.* & Romani Pontifices easdem, tanquam immunitati præjudiciales, abrogarunt.

QUÆSTIO III.

In quibus casibus cesset Immunitas personalis aut realis?

- 10 Communiter statuitur, personas Ecclesiasticas ad illas res, quibuscum nundinantur, aut negotiantur (de quibus videantur dicta in part. I. cap. 2. num. 5.) non gaudere Immunitate arg. cap. quamquam 4. in verb. quas non negotiationis causa deferunt, vel de-

de-